

per se institutum ad tollendum peccatum et sine illo possunt homines salvari. Atque hoc sensu accipiendum est, quod Melchias P. loco citat. dicit: *In baptismo abluimur, post baptismum roboramur; at si continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat, mox in pace beati sæculi recipiendos; confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos.* Ad hunc ergo finem dixit esse necessariam confirmationem, non simpliciter, sed ad melius esse; id est maxime utilem. Si autem sit sermo de necessitate præcepti, habet hoc specialem difficultatem infra tractandam in disputatione morali. Solutio ad quartum non indiget explanatione.

DISPUTATIO XXXII,

ET PRIMA DE CONFIRMATIONE.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quamvis doctrina de hoc sacramento brevior sit, quam aliorum, nihilominus in illa tradenda eandem dicendi methodum tenebimus, probando prius dari hoc sacramentum a cæteris distinctum; postea essentiam, causas, effectus et proprietates ejus declarando. In hac ergo disputatione definiemus quæstionem, an sit hoc sacramentum, et consequenter ejus institutionem, ex qua illius esse pendet.

SECTIO I.

Utrum confirmatio sit verum ac perfectum novæ legis sacramentum.

4. *Error Novati.* — *Waldenses.* — *Rutheni.* — *Lutherus.* — *Calvinus.* — Ratio dubitandi esse potest primo, quia in Scriptura nulla fit hujus sacramenti mentio. Secundo, quia nulla est illius necessitas, nam baptismus sufficit ad spiritualem vitam præstandam; Eucharistia ad augendam, nutriendam et conservandam. Propter hæc multi hæretici ausi sunt sacramentum hoc negare ac contemnere, quorum parens videtur fuisse Novatus; sic enim de illo scribit Theodor., lib. 3 Hæreticarum fabularum, cap. pen.: *Iis qui ab ipsis (scilicet Novatianis) tinguntur, sacrum chrisma non præbent; quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ junguntur, benedicti Pa-*

tres ungi jusserunt. Hunc errorem secuti sunt Waldenses, ut refert Aeneas Sylvius, de Origine Bohemorum, cap. 35. Item Flagellantes, apud Sanderum, lib. 7 de Visibili Monarchia Ecclesiæ, hæres. 463. Item Pauperes de Lugduno, Rutheni, Lutherus, Calvinus et reliqui novi sectarii, ut videri licet apud Prateolam sub eorum nominibus, et Lindanum, lib. 4 Panopliæ, a c. 26; Ruardum, art. 42; Bellarm., lib. de Confirmatione, et alios, qui hoc tempore contra hæreticos scripserunt.

2. *Esse confirmationis sacramentum distinctum ab aliis, de fide est.* — *Conclusio prima probatur auctoritatibus Scripturæ.* — *Joan. 14.* — Dicendum vero est, in lege gratiæ esse quoddam sacramentum a baptismo et cæteris distinctum, ad diversum finem et effectum et sub diverso signo visibili institutum, quod a Patribus confirmatio appellatur, ab effectu; aut signatio frontis, aut sacramentum chismaticis, ex materia; aut manus impositio Episcoporum. Res in hac conclusione contenta est de fide, quæ in primis ex sacra Scriptura colligenda est, sumendo imprimis id, quod in commentario articuli probatum est, Christum ita promississe Apostolis suis speciale Spiritus Sanctus donum et adventum ad eorum instructionem, protectionem et singularem regimen, ut non solum eorum personis, nec tantum fidelibus discipulis, qui cum eis tunc congregati erant, sed in eis universæ Ecclesiæ perpetuo duraturæ omnibusque fidelibus; hoc beneficium promiserit, juxta illud Joan. 14: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.* Hæc autem promissio, quamvis in Apostolis singulari et extraordinario modo impleta sit, tamen oportuit, ut Christus in Ecclesia relinqueret definitum aliquem ac certum modum et viam, qua donum hoc, et effectus hujus promissionis, ad omnes et singulos fideles, quadam ordinaria ac certa lege perveniret, quia alioqui nec posset nobis constare, quando, vel quomodo in nobis esset implenda hæc promissio; nec possent fideles uti aliquo certo medio ad hoc donum recipiendum; et hac ratione fuit etiam maxime conveniens, ut hæc promissio aliquo certo sacramento et visibili signo impleretur, quomodo Ecclesia Christi visibilis est, et corporales homines sub visibilibus signis melius spiritualia capiant. Unde etiam in ipsis Apostolis

non est hæc promissio impleta sine visibili signo, cujus vestigium seu participatio quædam aliquo tempore in Ecclesia primitiva duravit; tamen quia illud extra legem et quasi miraculosum erat, magisque ad fundandam, quam ad conservandam et exercendam fidem expediens, ideo necessarium fuit institui aliud determinatum signum, per quod promissio illa in fidelibus impleretur; sicut ergo promissio illa determinata est et distincta a cæteris in fine et effectu, ita proprium requirit signum et sacramentum.

3. *Actor. 2.* — At enim dicit aliquis promissionem hanc in baptismo et per baptismum impleri. De illa enim loquens Pet., Act. 2, cum dixisset: *Hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, subdit inferius: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti; vobis enim est repromissio et filiis vestris, et omnibus, qui longe sunt, quoscumque advocarit Dominus Deus noster; docet ergo Petrus promissionem illam in baptismo impleri. Sed non est hæc conveniens hujus loci intelligentia; duo enim dona significat Petrus eis verbis nobis esse promissa, scilicet, remissionem peccatorum per baptismum, et speciale Spiritus Sancti donum post baptismum. Unde Chrysost., homil. 48 in Acta: *Non est idem (inquit) assequi remissionem peccatorum, et accipere virtutem illam, id est, Spiritum Sanctum; non ergo illa singularis Spiritus Sancti promissio per solum baptismum impletur, sed baptismus præmittendus est, ut in aliquo talis promissio possit impleri.* Hanc autem esse veram hujus loci intelligentiam, ipse rerum usus et praxis satis ostendit. Nam imprimis Apostoli jam baptizati erant, quando Christus eis hoc speciale donum promisit, et quando in eis promissionem implevit die Pentecostes; et tamen per baptismum receperant proprium donum et effectum baptismi; ergo etiam nobis aliquid speciale promissum est ea promissione, distinctum a dono baptismi. Deinde Samaritæ jam baptizati erant et donum baptismi acceperant; et nihilominus ad eos mittuntur Petrus et Joannes, ut Spiritum Sanctum acciperent; est ergo hæc Spiritus Sancti receptio distincta ab effectu baptismi; antecedens patet Act. 8, ubi non solum habemus Spiritus Sancti donationem et promissionem impletam, sed etiam signum visibile, per quod*

implebatur: *Miserunt (inquit) ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu, tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod factum satis ostendit, Apostolos intellexisse, et hoc donum esse distinctum ab effectu baptismi; alias non tanta sollicitudine illud procurassent hominibus jam baptizatis; et esse promissum a Christo sub tali cæremonia et signo visibili; alias non ausi essent illa uti, ut daretur Spiritus Sanctus.

4. Atque idem colligitur ex facto Pauli Act. 19, ubi invenit quosdam credentes baptizatos solo baptismo Joannis, quos prius fecit baptizari baptismo Christi; et postea Paulus imposuit manus super eos, et datus est eis Spiritus Sanctus. Est ergo hæc promissio Spiritus Sancti distincta a promissione baptismi, et effectu ejus; et in nobis impletur, non absolute et simpliciter ex vi solius baptismi, nec sub conditione alicujus meriti vel solius interioris dispositionis; nihil enim tale nobis traditum est aut in Scriptura legitur; sed per visibile ministerium Ecclesiæ, ut ex dictis locis colligitur, et hoc est, quod nos appellamus confirmationis sacramentum.

5. *Eludunt hæretici hoc argumentum primo.* — *Respondetur hæreticis.* — Hoc autem efficacissimum argumentum ex Scripturis desumptum duobus modis eludunt hæretici, ut referunt auctores supra citati: prior est, negando illam manuum impositionem fuisse ad dandum aliquem effectum, vel donum ex opere operato; sed solum fuisse cæremoniam ab illis introductam in signum cujusdam approbationis; nam post baptismum, inquit, fideles præsentabantur Apostolis, vel Episcopis, et ab eis examinabantur et instruebantur; illi vero, quasi approbantes eorum fidem, manus eis imponebant. Sed in primis hoc est hæreticorum inventum de suo capite absque fundamento, solum ad enervendam Scripturæ vim. Deinde est per se incredibile, Petrum et Joannem tanta cura fuisse missos Samariam, solum ut nudam quandam cæremoniam exercerent. Deinde repugnat verbis Scripturæ, ut patet ex illa causali: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* In hunc ergo finem, et non tantum propter externam cæremoniam, imponebant manus super illos; et ita statim consecutum est, quod subditur: *Et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod paulo

inferius expressius declaratur, cum dicitur: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Ubi particula illa, per, causalitatem significat; et non a Simone, sed ab ipso Luca posita est. Simon autem agnoscens in Apostolis illam potestatem, deceptus non est; sed in eo, quod credidit pecunia posse obtineri. Unde Petrus posterius hoc reprehendit, non primum, sed potius illud probavit, docens, illam potestatem esse donum Dei, quod pecunia obtineri non posset, ut ex illis verbis patet: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia posse obtineri.*

6. *Pugnant secundo hæretici et nituntur hoc argumentum infirmare.* — Alio modo respondent hæretici, illud factum non pertinuisse ad usum seu ministerium alicujus sacramenti, sed ad potestatem miraculorum, vel similem gratiam gratis datam, tunc specialiter concessam Apostolis ad fidem fundandam et confirmandam. Unde consequenter aiunt, per illam impositionem manuum non fuisse datam gratiam sanctificantem, sed similia dona, seu gratias gratis datas, ut sunt prophetiæ et donum linguarum; unde Act. 19, dicitur: *Postquam imposuit Paulus illis manus, venit Spiritus Sanctus super illos, loquebanturque linguis et prophetabant.* Ubi Chrysost., hom. 40: *Illi (inquit) quibus manus imponit, Spiritum accipiebant; verisimile autem est, illos Spiritum habere, sed non apparere, sed efficacia et linguarum locutione nunc declarabant.* Et eodem modo videtur exponere hanc manuum impositionem Theophyl., ad Heb. 6, tractans illa verba: *Non rursus jacentes fundamentum doctrinæ, et impositionis quoque manuum, per quas (ait Theophyl.) Spiritum accipiebant, ut prophetarent et miracula ederent; imponente enim ipsis Paulo manus, acceperunt Spiritum Sanctum.* Alludit ad locum Act. 19, ex quo nos sacramentum hoc confirmationis colligebamus.

7. *Respondetur hæreticis.* — Sed hæc etiam evasio repugnat Scripturis; nam imprimis missio Spiritus Sancti facta a Christo, non solum ad gratias gratis datas, sed maxime ad gratiam sanctificantem pertinuit, juxta illud Luc. 24: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto;* et idem colligitur ex Joan. 14, 15 et 16, ubi specialiter dicit Christus: *Expedi vobis, ut ego vadam; si enim non*

abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Si enim Spiritus Sancti adventus non fuisset futurus ad perfectionem spiritualis vitæ, et augmentum gratiæ sanctificantis, sed ad solas gratias gratis datas, quæ ad aliorum utilitatem, magis quam recipientis ordinantur, non esset tantæ æstimationis, ut consortio et corporali præsentia Christi esset præferendus. Deinde gratiæ gratis datæ non sunt communes omnibus fidelibus, sed Spiritus Sanctus eas distribuit prout vult et Ecclesiæ expedit, ut patet 1 ad Cor. 12, et ad Ephes. 4; at vero hoc donum Spiritus Sancti indifferenter dabatur omnibus fidelibus; Apostoli enim omnibus baptizatis manus imponebant, ut patet Actor. 8, 9 et 19; ergo non pertinebat tantum ad gratias gratis datas.

8. Præterea, quod illa impositio manuum non pertineret ad gratiam miraculorum pro illo tempore specialiter concessam, sed ad sacramentale aliquod ministerium perpetuo in Ecclesia mansurum, probari potest primo, quia per illam implebatur Christi promissio de Spiritu Sancto fidelibus dando, quam factam esse toti Ecclesiæ, et pro universis fidelibus, ac temporibus, supra ostensum est. Secundo, quia, si illa potestas ad miracula vel gratias gratis datas pertinisset, aliis, quam Apostolis, vel Episcopis, interdum communicata fuisset, sicut ad alias miraculosas actiones dabatur; non sine mysterio autem ubique legitur, solos Apostolos hanc manuum impositionem exercuisse eo tempore, quo illi soli erant Episcopi. Tertio est optimum testimonium ad Hebr. 6, ubi Paulus inter fidei rudimenta post baptismum ponit manus impositionem; nimirum eam, per quam ipse et alii Apostoli gratiam Spiritus Sancti dabant, ut Chrysost., Theophyl. et alii exponunt; si autem illa manus impositio non pertineret ad ordinaria Ecclesiæ ministeria et sacramenta, non numeraretur a Paulo inter fidei initia et fundamenta; et ita intellexit eum locum Ambr. ibi dicens, loqui Paulum de impositione manuum, per quam Spiritus Sanctus accipi posse creditur, quod post baptismum ad confirmationem unitatis in Ecclesia Christi a Pontificibus fieri solet. Et August., lib. de Fide et operibus, c. 11, tractans illum locum Pauli, ita concludit: *Hæc igitur omnia pertinere ad initia neophytorum satis aperte Scriptura testatur.* Denique sufficiens hujus rei argumentum est, quod illa manus impositio, quæ ab Apostolis fiebat, postea in Ec-

clesia duravit et per Episcopos semper facta est; et ideo manus impositio Episcoporum est dicta, ut constat ex Melchiade supra. Cujus rei plures testes inferius adducam; nunc duo sufficient omni fide digni. Unus est Cypr., ep. 73 ad Jubaianum; ubi tractans prædictum locum Act. 8, dicit Petrum et Joannem compevisse quod Philippus diaconus dare non poterat; et subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Alius est August., lib. 3 de Baptismo contra Donatistas, c. 16, et tract. 9 in primam canonicam Joan., quibus locis ait, eundem Spiritum Sanctum dari nunc per manus impositionem, qui tunc dabatur, quamvis non cum eisdem signis visibilibus, nec cum eisdem effectibus, ad gratias gratis datas pertinentibus, quæ tunc erant necessaria, jam vero eorum necessitas cessavit.

9. *Secundo probatur Pontificum auctoritate.* — Secundo principaliter probatur hæc veritas Summorum Pontificum auctoritate. Primo, Clemens P., lib. 3 Constitut., c. 16: *Postea, inquit, Episcopus baptizatos chrismate ungit;* et c. 17: *Chrisma, inquit, confirmatio confessionis, seu professionis.* In quibus verbis materiam, ministerium, et effectum, et nomen confirmationis ab illo desumptum, et in Ecclesia retentum indicavit; et ep. 4: *Omnibus, inquit, festinandum est sine mora renasci Deo, et demum consignari ab Episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere;* et infra: *Nisi regeneratus fuerit ab Episcopo confirmatus, perfectus esse Christianus nequaquam potest, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, ut a beato Petro accepimus, et cæteri sancti Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt.* Secundo, Urbanus P., in ep. sua, c. 7: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Tertio, Fabianus, ep. 2, c. 1, de chrismate multa docet, quæ infra trademus; inter alia vero ait, baptismum sancti chrismatis unctione perfici atque confirmari. Quarto, Cornel. P., ep. ad Fabian. Antioch., apud Euseb., lib. 6 Hist., c. 33, alias 35, Domini sigillum appellat, referens de Novato: *Neque Domini sigillo ab Episcopo consignatus fuit; quo quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum Sanc-*

tum adeptus est? Quinto, Eusebius P., ep. 3, circa finem. Sexto, late Melchiades P., ep. supra citata. Septimo, Sylvester sacramentum hoc Constantino dedit; sic enim legitur in edicto Constantini, col. 4: *Septiformis gratiæ Spiritus Sancti adhibuit beati chrismatis unctionem, et vexillum sanctæ Crucis linivit in mea fronte, dicens: Signet te Deus sigillo fidei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Octavo, Damasus P., ep. 4. Nono, Innoc. I, ep. 1, c. 3. Decimo, Leo I, ep. 73, alias 75, deplorans statum Ecclesiæ Alexan.: *Interrupta est, inquit, sacrificii oblatio, deficit chrismatis sanctificatio;* clarius, ep. 86, alias 88, de Chorepiscopis agens, negat posse chrisma conficere, aut chrismate baptizatorum frontes signare; ep. etiam 37, c. 2, et 79, c. 7, dicit, baptizatos ab hæreticis non esse baptizandos, sed invocatione Spiritus Sancti per Episcopalem manus impositionem confirmandos. Undecimo, Greg. I, lib. 3, epist. 9. Duodecimo, Innoc. III, in c. unico, de Sacra unct., § Quia vero, ait, *post baptismum ungi christianos sancto chrismate in fronte, ut libere confiteantur quod creditur;* et infra: *Per frontis chrismationem manus impositio designatur; quæ alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur.*

10. *Tertio probatur.* — Tertium argumentum ex Conciliorum auctoritate sumendum est; hujus enim sacramenti meminit Concil. Elibertinum, c. 37, dicens, baptizatum perducendum esse ad Episcopum, ut per manus impositionem perficiatur; c. 78, dicit: *Episcopus per benedictionem eum perficere debet.* Concil. Laodicen., c. 48, vocat unctionem supercelestis chrismatis; Concil. Hispal. secundum, c. 7, ubi idem dicit de Chorepiscopis, quod Leo P. loco supra citato; Concil. Cabilonense secundum, c. 27, sub nomine confirmationis, quam dicit, sicut nec baptismum, iterari minime debere, quod citant ex Concil. Tarrac., can. 6, Gratianus in c. Dicitur est, de Consecrat., dist. 5, et Ivo, lib. 4, c. 46. Item Concil. Pariens. sub Ludovico et Lothario, lib. 4, cap. 33, ubi præcipit Episcopis, ne post cibum et potum per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant temporibus Paschæ et Pentecostes; et Concilium Meldenens., cap. 45, prohibet pro sacro chrismate munera accipere; in Concil. Arausic. I, fit mentio hujus sacramenti sub nomine confirmationis; idem in 6 Synodo, can. 7; Concil. Coloniens., part. 7, c. 8, ex pro-

fesso tradit doctrinam de hoc sacramento; Senonense in decret. fidei, c. 10, et in decretis morum, c. 38; Mogunt., c. 17; expressius tamen hoc definierunt Concil. Flor. in decret. Eugenii, et Concil. Trident., sess. 7, et sess. 23, c. 4, ubi statuit, ut nemo prima tonsura initiatur, qui prius confirmatus non fuerit. Plura ex Conciliis afferemus infra, de materia et ministro hujus sacramenti disputantes.

41. *Probatum traditione Patrum.* — Quartum argumentum sumitur ex Patrum traditione, quæ ad hanc veritatem confirmandam sufficeret, quando nullum aliud Scripturæ testimonium haberemus, ut de hac ipsa re disputans dixit Hier., dial. contra Luciferian. Unde Basil., lib. de Spiritu Sancto, c. 27, inter non scriptas traditiones ponit consecrationem olei unctionis; latius et apertius Dionys., c. 4 de Eccles. Hierar., disserit de confectione chrismatis, quod, c. 2, Deificum unguentum vocaverat, quo signantur baptizati; et in 3 part. illius c. hoc sacramentum vocat: *Divinæ generationis sacrosanctam perfectionem.* Pulchre de eodem disputat Cyrill. Hieros., catech. 3 Mystagogica, ubi inter alia ait, hoc sacramentum indicatum esse in Jordane, quando baptizato Christo, Spiritus Sanctus in ipsum descendere visus est. Theodoret. in id Cantic.: *Unguentum effusum nomen tuum: Si mystice, inquit, magis vis intelligere, sancti baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea visibili specie invisibilem Spiritus Sancti gratiam suscipiunt.* Ubi de baptismo et confirmatione, ut de uno sacramento, loqui videtur, quia, ut supra diximus, olim simul dari solebant, tanquam necessaria ad perfectionem et quasi complementum hominis christiani, non quidem quantum ad substantiam vitæ spiritualis; hæc enim in baptismo complete datur; sed quantum ad robur, et augmentum, perfectamque Spiritus Sancti protectionem; quod ad intelligendos cæteros antiquos Patres observandum est, præsertim Nazian., orat. 40 de Sancto Baptismo, ubi videtur confirmationem sub baptismo comprehendere, cum ait, *in eo animum et corpus unctione et Spiritu consignari.* Nisi hæc verba ad cæremonialem unctionem baptismi referantur. Atque eodem fere modo loquitur Damas., lib. 4 de Fide, c. 10. Præterea est optimus locus apud Eusebium, lib. 3 Hist., c. 17, alias 23, ubi historiam illam ex Clemente Alexandrino refert de adolescente, quem Joannes Evange-

lista singulariter dilexit, et Ephesino Episcopo concedidit: *Quem ille, inquit, baptismi sacramento illuminavit; postea vero sigillo Domini, id est sacramento confirmationis, tanquam perfecta, tutaque ejus animi custodia obsignavit.* Justinus Martyr, quæst. 137 ad Orthodox., ubi distinguit unctionem olei et unguenti, per unguentum chrisma intelligens, quo dicit consignari fideles post baptismum. Ex Latinis, Tertull. interdum indicat hoc sacramentum, præsertim lib. de Præscriptionibus hæreticor., cap. 36 et 40, dicens: *Post lavacrum signat in frontibus milites suos;* idem, lib. de Resurrect. carnis, c. 8; Cyprianus late epist. 70, clarius 72, ubi dicit baptismum et manuum impositionem esse duo sacramenta, et utrumque esse fidelibus suscipiendum, et epist. 73, ad Jubaianum, cujus verba supra retulimus, et in serm. de unctione chrismatis, late; Ambros., lib. de Sacrament., c. 2, vocat spirituale signaculum, quod post fontem superest, ut perfectio fiat. Idem, lib. 6, c. 20, et lib. de his qui initiantur, c. 7; August., lib. 2 contra litter. Petil., c. 104, ubi vocat sacramentum chrismatis, quod in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut est baptismus. Idem, l. 5 de Baptism., c. 20, et l. 15 de Trinit., c. 26, tract. 118 in Joan., et aliis locis supra relatis. Pacianus, ep. 4 ad Symphorianum, circa fin., inter sacramenta numerat baptismum et chrisma, de quo latius disserit inferius lib. de Baptismo: *Lavacro, inquit, peccata purgantur, chrismate Sanctus Spiritus superfunditur; utraque vero ista, manu et ore antistitis impetramus.* Optatus etiam Milevitanus, lib. 2 contra Parmen., col. 8, mentionem facit cujusdam ampullæ chrismatis, quam hæreticus per fenestram projecit, ut eam frangeret: *Quæ tamen, inquit, Deo muniente, inter saxa illæsa consedit.* In 7 etiam Syn., act. 4, inter miracula SS. Cosmæ et Damiani, ponitur, quod quædam mulier laborans quadam ægitudine, chrisma accipiens, in aquam effudit, illamque bibit, et confestim sanitati Sanctorum intercessione restituta est. Eusebius etiam Emisenus, homil. in die Pentec., ex Melchiade P., multa de hoc sacramento desumpsit; videri etiam potest Isid., de Eccles. officiis, ad finem; Beda, Luc. 22, et Act. 8; Rabanus, in lib. de Institut. cleric., c. 30; et Bernard., in vita S. Malachie, c. 2, in fine, refert, B. Malachiam in Episcopatu quodam usum saluberrimum confessionis et sacramentum confirmationis, quæ gens illæ ut

ignorabat, aut negligebat, instaurasse; et cap. seq. refert, Malchum Episcopum, Malachie magistrum, puerum mente captum, ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione sanasse.

42. *Probatum ratione.* — Ultimo afferre possumus congruentias, seu rationes hujus veritatis; cum enim non ex rerum naturis, sed ex institutione ad placitum, et ex voluntate instituentis pendeat, non potest efficaci ratione probari, sed testimoniis, quibus de voluntate instituentis satis constet; possumus tamen ejus voluntatis sufficientes et morales rationes afferre. Prima et fundamentalis est, qua D. Thom. hic est usus, de qua supra satis dictum est. Secunda sumi potest ex Melchiade P., epist. supra citata, ubi proponens objectionem, qua nunc maxime utuntur hæretici: *Quid mihi prodest post mysterium baptismatis mysterium confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte suscipimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus?* respondet rationem reddens, sicut ad imperatorem spectat, non solum signare militem, sed etiam armis competentibus eum instruere, ita Christum Dominum per baptismum nos describere militiæ suæ, per confirmationem vero dare adjumentum militiæ. Item sicut parens magnam pupillo facultatem relinquens ei statim providet tutorem, ita in hoc sacramento dari regeneratis Paraclitum, ut sit eis custos, consolator et tutor; denique, inquit, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur; et hoc est, quod alii SS. Patres dicunt, hoc sacramentum fuisse conveniens, ut sit perfectio baptismi, et plenitudo hominis christiani, ut supra explicatum est.

43. Dices: totum hoc potuit simul dari unico baptismo; quid ergo necesse fuit, quasi per partes, per diversa sacramenta dari? Respondetur primum, id fuisse expediens, ut in ipsamet sacramentorum diversitate, effectum etiam gratiæ Dei et beneficiorum ejus varietas et multitudo cognosceretur; nam præter gratiam regenerationis baptismalis, est singulare Christi beneficium, quod ipsis regeneratis Spiritum Sanctum tribuit in singulare regimen et protectionem eorum. Deinde, ut homines, et difficultatem spiritualis militiæ, et suæ naturæ imbecillitatem agnoscant; nam etiam post copiosam baptismi gra-

tiam indigent speciali robore et protectione Spiritus Sancti, ut Christo possint convenienter militare. Tandem, ut hac sacramentorum sapientissima et admirabili varietate magis ab hominibus coleretur Deus, et ut professio fidei in baptismo facta veluti iteraretur et rata fieret in confirmatione. Atque ex his obiter satisfactum est, si quid in contrarium objici poterat.

SECTIO II.

An, et quo tempore fuerit hoc sacramentum a Christo institutum.

1. *Error quorundam tum hæreticorum, tum fidelium.* — In hac re et hæreticos, et nonnullos Catholicos errasse invenio; hæretici enim qui negant hoc esse verum sacramentum, consequenter dicunt, non Christum, sed Melchiam Papam hanc cæremoniam instituisse. Sed quantum in hoc errent, satis constat ex dictis; ostendimus enim sacramentum hoc longe ante Melchiam Papam tempore Clementis, Urbani, Fabiani, Cornelii, Cypriani, Eusebii, et aliorum in usu fuisse. Secundo fuit sententia quorundam Catholicorum, hoc sacramentum non a Christo, neque ab Apostolis, sed in Conc. Meldensi, speciali Spiritus Sancti instinctu, fuisse institutum. Fundamentum est, quia institueretur sacramentum non est solum promittere effectum sacramenti, sed designare etiam et præcipere signum visibile, seu materiam et formam, per cujus usum significetur et ex promissione detur effectus sacramenti; sed nec Christus Dominus, neque Apostoli hoc præstiterunt circa hoc sacramentum; ergo non instituerunt illud. Probatum minor, quia, licet Christus promiserit Spiritum Sanctum Apostolis et discipulis suis, nullo tamen sacramento usus est ad hoc promissum implendum, sed in die Pentecostes per potestatem excellentiæ eos absque sacramento confirmavit, ut significat Melchias Pap., dict. epist. dicens: *Quod in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populos donavit universis;* et idem significavit Concil. Florent., in decret. Eugenii, et D. Thom. late art. seq., ad 4; et Bonavent., dist. 7, art. 1, quæst. 1. Similiter, licet Apostoli suo ministerio dederint effectum hujus sacramenti, non tamen ad hoc utebantur signo visibili hujus sacramenti, sed sola manus impositione et oratione, ut